

PONTIFICALIS RITUS

PRO ADULTORUM BAPTISMO.

PONTIFEX, adultos sacri Baptismatis unda mergere seu perfundere volens, prius diligenter inquirat, An adulti baptizandi in Christiana Fide, ac sanctis moribus sint instructi, et an scientes, et volentes ad Baptismum accedant.

Ne quis, jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quæstum, vel ob aliam causam, fraude, dolove, iterum baptizari velit.

In Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, hujusmodi Baptismum solemniter ministrari curet: nisi Catechumeni, rite instructi, Baptismum suum in longum tempus differri ægre ferant.

Cum igitur hujusmodi Baptismus ministrandus erit, disponantur suis locis sequentia:

In Secretario: Altare cum Cruce, et candelabris cum cereis: baculus Pastoralis a latere Epistolæ.

Super altare autem: Mitra simplex, pectorale, pluviale, et stola coloris violacei, Crux pectoralis, cingulus albi coloris, alba, amictus, et si Pontifex erit Regularis, superpelliceum: omnia velo serico violaceo cooperta.

Item faldistorium cum veste, et pulvinis violaceis super tapete, ante idem altare.

Insuper sedes Pontificalis cum pulvino violaceo, et tapete, si Pontifex erit in propria Ecclesia.

In Abaco ejusdem Secretarii: Bacile, et buccale cum aqua. Mappæ pro gremio, et manibus. Candelabra duo cum cereis. Clava Cardinalitia, si Pontifex erit S. R. E. Cardinalis; liber hic, et bugia.

In Presbyterio, et Choro: Altare cum pallio violaceo. Cruce, et candelabris cum cereis. Faldistorium cum

veste, et pulvinis violaceis super tapete. Sedes Pontificalis, tecta violaceis, si Pontifex, ut supra, erit in propria Ecclesia.

Ad valvas Ecclesiæ, et ad ostium cancellorum Baptisterii: Faldistorium coopertum veste violacea, superstrato.

In Baptisterio: Fons late patens pro immersione Catechumeni. Faldistorium cum veste alba, et tria scabella circa illud super tapete, intra cancellos ante ostium Fontis.

In Abaco ejusdem Baptisterii: Pelvicula cum sale. Vascula duo, cum bombacio madido sanctis Oleis, alterum Chrismatis, alterum Catechumenorum. Bombacium siccum pro abstersione locorum inunctorum. Paramenta albi coloris, videlicet, mitra auriphrygiata, pluviale, et stola, cooperta velo serico albo. Chrismalia, seu candidi linteoli, et vestes candidæ pro numero Neophytorum. Item et cerei eisdem tradendi. Vasa, cum mica panis ad lavandas manus. Mappæ ad eas tergendas, et pro gremio.

Pontifex igitur, paratis omnibus de mane, in secretario lavat prius manus, deinde super rochetum, sive superpelliceum, si sit Regularis, accipit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, ac pluviale violacei coloris, pectorale, et mitram.

Postmodum, cum toto Clero suæ Ecclesiæ, ordine processionali accedit ante altare majus, vel ejusdem Secretarii, ubi genuflexus super faldistorio, deposita mitra, genuflectentibus pariter omnibus, piæ mente ad Deum preces effundat, ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare.

Deinde, ad implorandum divinum auxilium, surgens, se signat, et dicit:

DEUS, in adjutorium meum intènde.
ñ. Dómine, ad adjuvandum me festína.

Glória Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

W. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Postea stans ibidem, incipiat, prosequentibus Clericis, Antiphonam:

Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab ómnibus inquinaméntis vestris, dicit Dóminus.

PSALMUS 8.

DOMINE, Dóminus noster: * quam admirábile est nomen tuum in univérſa terra?

Incepto Psalmo, Pontifex, accepta mitra, sedebit vel in sede, si fuerit in propria Ecclesia, vel in faldistório in plano Epistolæ.

Quóniam eleváta est magnificéntia tua: * super cœlos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut déstruas inimicum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitorum tuórum: * lunam, et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hóminis, quóniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: * et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves, et boves univérſas, insuper et pécora campi.

Vólucres cœli, et pisces maris: * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster: * quam admirábile est nomen tuum in univérſa terra!

Glória Patri. Sicut erat, etc.

PSALMUS 28.

AFFERTE Dómino filii Dei: * afférte Dómino filios arietum.

Afférte Dómino glóriam, et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * et confringet Dóminus cedros Libani.

Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: * et diléctus quemádmódu filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: * vox Dómini concutiéntis désertum, et commovébit Dóminus désertum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa: * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedicet pópulo suo in pace.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

PSALMUS 41.

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquárum: * ita desidérat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam, et apparebo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die, ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ániam meam: * quóniam transibo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis, et confessiόνis: * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte mó dico.

Abyssus abyssum Invocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transié- runt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ ; * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblitus es mei ? * et quare contristátus incédo, dum affligit me inimicus ?

Dum confringúntur ossa mea ; * exprobráverunt mihi, qui tribulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, ánima mea ? et quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Et repetitur Antiphona :

Effúndam super vos aquam mundam, et mundabimini ab ómnibus inquinaméntis vestris, dicit Dóminus.

Completa Antiphona, Pontifex, deposita mitra, sur- git, et stans versus altare, dicit :

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto usque ad

Ÿ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

Ŕ. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Dómine, exáudi oratiónem meam.

Ŕ. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedisti fámulis tuis in confessióne veræ fidei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quæsumus, ut ejúsdem fidei firmitáte, ab ómnibus sem- per muniámur advérsis.

ADESTO supplicatióibus nostris, omnipotens Deus, et quod humilitátis nostræ geréndum est ministério, tuæ virtútis impleátur efféctu.

DA, quæsumus Dómine, elécto nostro ; (In plurali pro pluribus, et in genere masculino, nisi omnes sint fœminæ.) ut sanctis edóctus mystériis, et renovétur fonte Baptismatis, et inter Ecclesiæ tuæ membra nu- merétur. Per Christum Dóminum nostrum. ŕ. Amen.

Deinde Pontifex, accepta mitra, et baculo Pastoralis, procedit cum toto suo Clero, ut supra, ad fores Ecclesiæ : ibique in limine, deposito baculo, et retenta mitra, sedet in faldistorio. Catechizandus vero extra limen genuflectit, e regione Pontificis. Et si sint plures mares, et fœminæ, illi ad dexteram Pontificis, hæ vero ad sinistram statuantur.

Tum Pontifex, sedens cum mitra, interrogat Catechumenum : (Singulariter singulis, si plures, usque ad Orationem.) Quo nómine vocáris ?

Catechumenus respondet : N.

Pontifex : N. Quid petis ab Ecclesiá Dei ?

Respondet Catech. Fidem.

Pontifex. Fides quid tibi præstat ?

Resp. Catech. Vitam ætérnám.

Pontifex. Si vis habére vitam ætérnám, serva man- dáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum, sicut te ipsum : In his duóbus mandátis tota

Lex pendet, et Prophætæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneris, neque confundendo personas, neque substantiam separando. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed horum trium una est substantia, et non nisi una Divinitas.

Et rursus interrogat : *N. Abrenuntias Sathanæ?*

Respondet Catech. Abrenuntio.

Interrogat : *Et omnibus operibus ejus?*

Respondet : Abrenuntio.

Interrogat : *Et omnibus pompis ejus?*

Respondet : Abrenuntio.

Deinde Pontifex interrogat de Symbolo Fidei, dicens :

CREDIS in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ?

Respondet : Credo.

Interrogat : *Credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum et passum?*

Respondet : Credo.

Interrogat : *Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam.*

Respondet : Credo.

Tunc Pontifex surgit cum mitra, et exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens :

Exi ab eo spiritus immunde, et da locum Spiritui sancto paraclyto.

Hic in modum Crucis halet in faciem ipsius, et dicit : *N. Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem, et Dei benedictionem. ✠ Pax tibi.*

℞. Et cum spiritu tuo.

Deinde Pontifex sedet cum mitra, et facit Crucem cum pollice in fronte, et in pectore Catechumeni, dicens :

N. Accipe signum Crucis tam in fronte ✠ quam in corde : ✠ sume fidem cœlestium præceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis; ingressusque Ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis, lætus agnosce :

Et si Catechumenus venit de Gentilitatis errore, sive de Ethnicis, et Idololatriis, dicat :

Horrésce idola, respue simulacra.

Si ex Hebræis, dicat :

Horrésce judaicam perfidiam, respue hebræicam superstitionem.

Si ex Mahumetanis, dicat :

Horrésce Mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.

Si ex Hæreticis, et in ejus baptismo debita forma servata non sit, dicat :

Horrésce hæreticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum N.

Exprimens proprio nomine sectam, de qua venit. Inde prosequatur :

Cole Deum omnipotentem, et Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℞. Amen.

Si Catechumeni fuerint plures, Pontifex singulariter singulos interrogabit, repetendo :

Quo nomine vocaris? et, ut supra, cætera perficiendo.

Deinde surgit, et, deposita mitra, dicit : (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

TE deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus, ut huic famulo tuo *N.* qui in hujus sæculi nocte vagatur incertus, ac dubius, viam veritatis, et agnitionis tuæ jubeas demonstrari : quatenus, reseratis

óculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spíritu sancto, recognóscat, atque hujus confessiónis fructum, et hic, et in futuro sæculo percípere mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.
R. Amen.

Mox sedens cum mitra signat signo Crucis cum pollice in fronte dicens: (Singulariter singulis.)

Signo tibi frontem ✠, ut suscipias Crucem Dómini.
In auribus. Signo tibi aures ✠, ut áudias divina præcepta.

In oculis. Signo tibi óculos ✠, ut videas claritatem Dei.

In naribus. Signo tibi nares ✠, ut odórem suavitátis Christi sentias.

In ore. Signo tibi os ✠, ut loquáris verba vitæ.

In pectore. Signo tibi pectus ✠, ut credas in Deum.

In scapulis. Signo tibi scápulas ✠, ut suscipias jugum servitútis ejus.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit:

Signo te totum in nómine Patris ✠, et Filii ✠, et Spíritus sancti ✠, ut hábeas vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Deinde, deposita mitra, surgit et dicit: (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

PRECES nostras, quæsumus Dómine, cleméner exáudi, et hunc eléctum tuum *N.* Crucis Dominicæ, cujus impressióne eum signámus, virtúte custódi, ut magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum, ad regeneratiónis glóriam pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.
R. Amen.

OREMUS.

DEUS, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis étiam reformátor, propitiáre pópulis adoptivis; et novo testaménto sóbolem novæ prolis adscribe, ut filii promissiónis, quod non potuerunt ássequi per natúram, gaudeant se recepisse per grátiam. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

(Singularis.) Tunc imponit manum super caput Electi, et stans sine mitra dicit: (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum *N.* quem ad rudiménta fidei vocáre dignátus es: omnem cæcitatém cordis ab eo expélle: disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus: áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbútus, ómnium cupiditátum foetóribus cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem, ut idóneus efficiátur accédere ad grátiam Baptismi tui, percépta medicína. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Deinde, stans cum mitra, benedicit salem.

BENEDICTIO SALIS.

EXORCIZO te, creatúra salis, in nómine Déi Patris omnipoténtis ✠, et in charitáte Dómini nostri Jesu Christi ✠, et in virtúte Spíritus sancti ✠, exorcizo te per Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, per Deum sanctum ✠, per Deum ✠, qui te ad tutélam humáni

géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépít; ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre Sacraméntum ad effugándum inimicum.

Hic, deposita mitra, et adhuc stans, prosequitur, dicens :

Proinde rogámus te, Dómine Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificádo sanctifices ✠, et benedicéndo benedicas ✠, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfectá medicina, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos, et sæculum per ignem. *R.* Amen.

Quod si Catechumenus fuerit Gentilis, seu ex Idololatrâ venerit ad fidem, benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Pontifex, adhuc stans sine mitra, addat sequentem Orationem, quæ tamen pro venientibus ex Hebræis, vel aliis, ut supra, non dicitur. (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, qui es, qui eras, et qui pérmanes usque in finem, cujus orígo nescítur, nec finis comprehénderi potest : te súpplices invocámus super hunc fámulum tuum *N.* quem liberásti de errore gentilium, et conversatióne turpíssima; dignáre exaudire eum, qui tibi cervices suas humiliat ad lavácri fontem, ut renátus ex aqua, et Spíritu sancto, expoliátus vétérem hómínem, induat novum, qui secúndum te creatus est; accípiat vestem incorrúptam, et immaculátam, tibi que Deo nostro servíre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Tunc Pontifex sedet cum mitra, et pollice, ac indice accipit de ipso sale benedicto, et immittit in os Catechumeni, dicens : (Singulariter singularis.)

N. Accipe sal sapiéntiæ, propitiátio sit tibi in vitam ætérnam. *R.* Amen.

Pax tibi. R. Et cum spiritu tuo.

Deinde sine mitra surgit, et stans dicit : (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

DEUS patrum nostrórum, Deus univérse cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum *N.* respicere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permittas, quo minus cibo repleátur cœlésti; quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper nómini sérvíens. Perduc eum, Dómine quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácerum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Si inter Catechumenos adsint fœminæ, recedant ipsæ in partem, quousque tertio dicatur masculis : Ora, Elécte, etc., et hi signati fuerint in fronte.

Deinde Pontifex sedet cum mitra, et dicat Catechumeno stanti : (In plurali pro pluribus masculis tantum.)

ORA, Elécte, flecte génua, et dic Pater noster.

Et Electus, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster, etc.

Et cum dixerit usque ad Sed libera nos a malo, inclusive.

Pontifex dicit : Leva, comple oratiónem tuam, et dic Amen.

Electus surgens, respondet : Amen.

Pontifex dicit Patrino : Signa eum.

Deinde Electo : Accéde.

Et Patrinus pollice signat Electum in fronte, dicens : In nómine Patris, et Filii, et Spíritus sancti.

Et Pontifex pariter faciet signum Crucis in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Filii, et Spíritus sancti.

(Singulis.) Postea Pontifex sine mitra surgit, et stans imponit manum super Electum, et dicit : (In plurali pro pluribus masculis.)

OREMUS.

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die, ac nocte : te quæsumus, Dómine, ut mittere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui similiter custódiat et hunc fámulum tuum *N.*, et perdúcat eum ad grátiam Baptismi tui. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Deinde accipit mitram, et adhuc stans dicit : (In plurali pro pluribus.)

EXORCISMUS.

ERGO, maledicte diabole, recognósce senténtiam tuam, et da honórem Deo vivo, et vero; da honórem Jesu Christo, Filio ejus, et Spíritui sancto : recéde ab hoc fámulo Dei *N.* quia istum sibi Deus, et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptismatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Crucis ✠, (Signat singulos.)

QUOD nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam áudeas violáre. Per eúndem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos, et sæculum per ignem. *ñ.* Amen.

Pontifex sedet, retenta mitra, et dicit secundo Electo : (In plurali pro pluribus masculis.)

ORA, Elécte, fleete génu, et dic Pater noster. Electus, genu flexo, orat et dicit : Pater noster, usque ad Sed libera nos a malo, inclusive.

Pontifex subjungit : Leva, comple oratióem tuam, et dic Amen.

Electus, surgens, respondet : Amen.

Pontifex dicit Patrino : Signa eum.

Deinde dicit Electo : Accéde.

Et Patrinus cum póllice signat Electum in fronte, dicens : In nómine Patris, et Filii, et Spíritus sancti.

Et Pontifex pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens : In nómine Patris, et Filii, et Spíritus sancti.

Pontifex sine mitra surgit, et stans imponit manum super Electum, et dicit : (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

DEUS, immortalé præsidium ómnium postulántium, liberátio súpplicum, pax rogántium, vita credéntium, resurréctio mortuórum, te invoco super hunc fámulum tuum *N.* qui, baptismi tui donum petens, ætérrnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desiderat : accípe eum, Dómine; et quia dignátus es dícere : Pétite, et accipiétis, quærite, et inveniétis, pulsáte, et aperiétur vobis : peténti præmium pórrige, et jánuam pande pulsánti, ut ætérrnam cœléstis lavácri benedictiόνem consecútus, promíssa tui múnemis regna percípiat. Qui cum Patre, et Spíritu sancto vivis, et regnas Deus in sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

Inde accipit mitram, et adhuc stans, dicit : (In plurali pro pluribus.)

EXORCISMUS.

AUDI, maledicte sátana, adjurátus per nomen ætérrni Dei, Salvatóris nostri Jesu Christi, Filii ejus, cum